

cap. 4. Secundum Apostolorum Canones, omnium Ecclesiasticorum negotiorum curam Episcopus habet: & ea velut Deo contemplante dispense. Et cap. 7. Nullus (inquit) Archidiaconus, vel Archipresbyter, aut Præpositus, aut Decanus animarum curam vel præbendam Ecclesia sine iudicio vel consensu Episcopi alieni tribuat: immo sicut sanctis Canonibus constitutum est, cura & rerum Ecclesiasticarum dispensatio in Episcopi iudicio & potestate permaneat. Si quis vero contra hæc facere, aut potestatem ad Episcopum pertinentem sibi vendicare presumpserit, ab Ecclesie liminibus arceatur. Gregorius Magnus allegatus in c. si quis, de major. & obed. jam ante sic statuerat: Si quis venerit contra decretum Episcopi, ab Ecclesia ejiciatur. Huc spectat memorabilis illa Caroli IX. in Comitibus Aurelianensibus constitutio, art. 11. Sancimus cunctos Canonicos & Capitula, tam secularia quam regularia Ecclesiarum, tam Cathedralium quam Collegiarum, subiecta esse Episcopo diocesano; nec ullo posse uti privilegio ad evitandam visitationem; aut criminum poenam. Ipsaque ejusdemque Caroli mandata suis ad Concilium Tridentinum Legatis hoc exprimit artic. 26. Restituantur Episcopis intra omnem Ecclesiasticam diocesim Ecclesiasticæ jurisdictiones, & tollantur omnes exemptiones. Ipsum vero Tridentinum Concilium sess. 6. cap. 4. de reform. confirmat his verbis: Capitula Cathedralium, & aliarum majorum, illorumque persone nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis, concordariis, qua tantum suos obligant auctores, non etiam successores, tueri se possint quo minus a suis Episcopis, & aliis majoribus Prelatis, per seipsos solos, vel illis quibus sibi videbitur adjunctis, juxta Canonicas sanctiones toties quoties opus fuerit visitari, corrigi, & emendari, auctoritate Apostolica possint & valeant. Vide quoque, si lubet, idem Concilium sess. ult. cap. 6. de reform. Statuit vero cap. cum non liceat, de præscript. Subditum non posse prescribere contra obedientiam & reverentiam Episcopi.

6. Ipse vero Fevretus tract. de abusu, lib. 3. cap. 3. §. 12. regulas generales præscribens, quibus secundum Gallicanam praxim discernantur legitime ab abusu appellationes ab illegitimis, hæc ita effatur: La dixième de ces règles est, que l'exemption des Chapitres, & des Réguliers de la juridiction des Ordinaires, donne lieu assez fréquemment aux appellations comme d'abus, comme étant le droit public de la juridiction des Ordinaires violé par ces exemptions accordées contre l'autorité, puissance, & juridiction Diocésaine. L'on a raison de qualifier ces exemptions du nom de privilège, parce qu'elles derogent au droit commun, qui soumet aux Evêques les Chanoines, aussi bien que les Religieux. (Et post pauca:) Pourtant comme on a reconnu depuis, que ces prétendus privilèges & immunités trop facilement accordées aux Colleges des Chanoines n'apportoient aucune utilité à l'Eglise, au contraire, qu'elles fomentent les divisions & procès sans fin entre les Chapitres exempts & les Evêques; les Cours Souveraines du Royaume ont tant qu'elles ont pu travaillé à maintenir les droits des Ordinaires contre les privilèges. Auctor quoque Tractatus admodum docti de juribus, immunitatibus, & libertatibus Ecclesie Gallicane postquam multa protulit Senatusconsultis Regni, quibus suprema Curie hujusmodi exemptiones Capitularum & Canonicorum hierarchicum ordinem, & stabilitatem a Deo jurisdictionem Episcopalem invertebant convellere solent, his demum verbis concludit: L'on restraint en France tant que l'on peut ces sortes d'exemptions, comme étant contre la liberté des Eglises.

7. Hos demum exemptionum abusus prudenter advertit, & ad præcautionem sic admonet Concilium Tridentinum sess. 23. de reform. cap. 11. Quoniam (inquit) privilegia & exemptiones, variis titulis plerumque conceduntur hodie, perturbantem in Episcoporum jurisdictione excitare, & exemplis occasionem laxioris vite præbere dignoscuntur. Ideoque idem Concilium sess. 6. cap. 3. & 4. de reform. declarat, nullis exemptionibus Ordinarios præpediri, quo minus visitare, & criminalibus formis procedere possint adversus subditos clericos seculares, ubicunque delinquentes. Nulla vero præscriptio acquiri exemptionem adversus Ordinarium posse definitur c. cum non liceat, de præscript.

8. Can. VII. Ut Monasteria puellarum non nisi probate vite & atatis provectæ viri ad quascunque earum necessitates & ministraciones permittantur intrare; ad faciendas vero Missas qui ingressi fuerint, statim exacto ministerio regredi festinant: alias autem nec Monachus, nec Clericus juvenis ad puellarum congregationem habebit accessum, nisi aut paterna, aut germana necessitudo poterit admittere.

Moniales nullam habebant extra claustra Ecclesiam,

sed interius in quod conveniebant oratorium, ad Missæ assistendum & psallendum: sic etiam in Turonensi hoc eodem anno celebrato Concilio can. 29. Presbyteris, Diaconibus, ceterisque clericis intra claustra Monasteriorum puellarum non sit concessum habitare. Neque enim intrent Monasteria, nisi tempore quo Missarum solemnitas celebranda sunt, vel alia qualibet Ecclesiastica Officia peragenda; quibus peractis, statim egrediantur, nec ibi postea aliquam moram faciant. Similiter & aliis hominibus eadem Monasteria frequentare importune cupientibus omnis aditus præcludatur. Similiter Concilium Forojulienæ anni 791. dum can. 12. providet, ne ullus clericus, aut etiam Archimandrita ad prædicandum Monialibus Dei verbum claustra illarum nisi de licentia Episcopi ingrediatur; satis arguit caruisse olim Ecclesiis externis Monasteria Sanctimonialium, in quibus, ut nunc fit, illis prædicaretur. Eadem habentur in Concilio eodem ann. 813. sub eodem Carolo initis, Turonensi can. 29. & Cabilonensi secundo, can. 17. deinde sub Ludovico Pio in Aquigranensi p. 2. can. 27.

9. Can. VIII. Ut non amplius suscipiantur Monasteria Canonicorum atque Monachorum, seu etiam puellarum, nisi quantum ratio permittit, ut in eodem Monasterio absque necessitatem rerum penuria degere possit.

Eodem anno Moguntinensis can. 19. Ut plures non mittantur in Monasteria canonicorum & Monachorum, aut etiam puellarum, quam suffere possit. Eiusdemque anni Rhemenensis can. 27. Ut in civitatibus & Monasteriis non major numerus serventium Deo mittatur, quam possibilitas eis ministrandi fuerit. Turonensis ejus quoque anni canon. 31. Ut in Monasteriis canonicorum, Monachorum, seu puellarum major hominum numerus non admittatur, quam facultas monasterii possit sufficere. Idem statuitur Concilii Tridentini sess. 25. capit. 3. de Regularib.

Can. XVII. Ut unusquisque Episcopus semel in anno circumceat parochiam suam, noveritque sibi curam populorum & pauperum in protegendis ac defendendis impostam. Ideoque dum conspiciunt, iudices ac potentes pauperum oppressores existere, prius eos sacerdotali admonitione redarguant. Et si contempserint emendari, eorum insolentia Regis auctoritate inimerur; ut quos sacerdotali admonitione non flebit ad justitiam, Regalis potestas ab improbitate coerceat.

Huic similem iidem fere verbis canon. 31. ediderat Concilium Toletanum quartum, anno 633.

Can. XVIII. Ut Presbyteri sub sigillo custodiant christum, & nulli sub prætextu medicinæ vel cupiditate rei donare præcant: Genus enim Sacramenti est, & non ab aliis nisi a Sacerdotibus contingi debet. Quod si fecerint, honore priventur.

Can. XIX. Ut parentes filios suos & patrini eos, quos de fonte lavacri suscipiunt, erudire summo opere studeant. Illi, quia eos genuerunt, & eis a Domino dati sunt; isti, quia pro eis fidei iussures existunt.

Quamam docendi sint Catechumeni, tradit sigillatim Clemens Papa & Martyr lib. 7. contra. Apost. cap. 40. Unum scilicet Deum in Trinitate personarum mundi creatorem, ejusque in cuncta creata providentiam, incarnationem Filii Dei, passionem & mortem pro peccatoribus perpassam, resurrectionem, & ascensionem in caelum. Item Baptismi vim & necessitatem. His addunt Concilium Laodicenum can. 7. & Bracarense III. can. 1. Symbolum Apostolorum, ut pueri illud memoriter addiscant. Concilium etiam VI. (quod est tertium Constantinopolitanum) constituit, ut nullus adultus baptizetur, aut christinetur, nisi Symbolum Apostolicum, & Orationem Dominicam memoria teneat: istamque rationem adjungit, quia in his duobus sit omne Fidei fundamentum. Observa tamen canonem istum adscriptum Concilio sexto, seu potius Quinisexto, nequaquam reperiri inter Canones Græcos, sed recentiori inter novem Latinos Canones, qui in pervertutis quibusdam manuscriptis inserti leguntur in Synodo Quinisexta, quos inter iste hic allegatus septimus tenet locum. Observa pariter Canonem istum XIX. hujus Concilii Arelatenensis, iidem plane verbis repeti in Capitularibus Caroli Magni lib. 1. 46.

Can. XXII. Ut placita publica & secularia neque in atrii basilicarum, neque in ipsis basilicis fiant, dicente Domino: Domus mea domus orationis vocabitur.

Vide c. 1. de immunit. Eccl. & c. decet, eodem in 6. Et quod sequitur proxime Concil. Moguntinum cap. 40. 10. Can. XXV.

10. Can. XXV. Ut si quis beneficium de rebus Ecclesiæ habet, ad lecta ejusdem Ecclesie restauranda, vel ad ipsas Ecclesias edificandas adjuvet.

Hoc idem fuerat sub Carolo quoque Magno constitutum in Concilio Francofordiensi Hadriano Papa I. Pontifice can. 26. Ut domus Ecclesiarum & tegumenta ab eis sicut emendata vel restaurata, qui beneficia exinde habent: Repetita fuit eadem sanctio in Concilio Moguntino sub eodem Carolo, can. 42.

CONCILIIUM MOGUNTINUM

Anno 813.

1. Moguntia ad Rhenum sita primum habuit Archiepiscopum Bonifacium Germanorum Apostolum. Hujus Præful privilegio gaudet primi Electoris Imperii, cui officium & sollicitudo competit ceteros Electores convocandi ad Imperatoris electionem. Civitas hæc ab antiquis, indiscriminatim & Moguntia sive Maguntia dicit solat, vulgo Mentz. Coactum istud Concilium fuit sedente Romæ Leone tertio, regnante & Imperante Carolo Magno, qui hanc simul cum aliis quatuor Synodis eodem Christi Domini anno 813. propter morum reformationem, & instaurandam Ecclesie per universum suum Imperium disciplinam voluit convocari.

2. Can. IX. In omnibus igitur, quantum humana permittit fragilitas, decrevimus, ut Canonici clerici canonicè vivant, observantes divina Scripturæ doctrinam & documenta sanctorum Patrum, & nihil sine licentia Episcopi sui vel magistrorum eorum compositè præsumant agere in unoquoque Episcopatu. Et ut simul manducent & dormiant, ubi his facultas id faciendi suppetit, vel qui de rebus Ecclesiasticis stipendia accipiunt; & in suo claustrum maneat, & in singulis diebus mane primo ad lectionem veniant & audiant quid eis imperetur. Ad mensam vero similiter lectionem audiant, & obedientiam secundum canones suis magistris exhibeant.

Consuetudo erat ab antiquis ducta temporibus, ut propter Ecclesiam, vel in ipso Episcopio, vel in ædibus Episcopio contiguas Canonici clerici in commune viverent, perinde ac in cœnobiiis communi utentes mensa, & in communi quiescentes dormitorio. Ex Augustini sancti Doctoris exemplo pervaserat in diversas regiones laudabilis ista consuetudo, de quo fidelissimus ejus discipulus Possidonius hæc perhibet vita ipsius c. 52. Cum ipse semper clerici una etiam domo & mensa sumptibusque communibus alebantur & vestiebantur. Hilarius etiam ex Monacho Lirineni ad Insulas Arelatenis Ecclesie promotus similem instituit clericorum congregationem, de qua Hilarii discipulus Honoratus Maffiliensis Episcopus sic in ipsius vita refert, c. 7. Congregationem subito instituit secreti cupidam, continentie virtute crescentem, quam suo non minus bene imbuti exemplo, quam formavit eloquio. Morientisque Hilarius ad hanc Congregationem salubria monita effatus est, que item commemorat Honoratus cap. 20. Concilium Aurelianense secundum, can. 9. providet, ne clerici cum secularibus habitent. Aquigranense sub Imperatore Ludovico Pio Concilium canon. 121. & 122. sancit, cunctis clericis aequaliter cibos distribui ad mensam. Idemque can. 134. modum & formam præscribit correctionis clericorum in commune viventium. Huc pertinet Concilium Turonense tertii can. 23. Et Concilium Aquigranense sub Ludovico Pio eadem statuit p. 1. can. 118. quin etiam can. 143. jubet perferri portæ clericum laudabilem, qui canonicorum portam competentem tempore claudit, ac referat, ne cuiquam liceat absque speciali Præfati licentia ingredi, vel egredi: & ut janitor expleto Completorio obseratisque portis claves ad Præfectum deferat, quas postmodum ab eodem resumat.

3. Præter istam Canonicorum una viventium & cohabitantium congregationem, erant insuper juniorum clericorum scholæ, iidem in ædibus communiter sub magistris educatione ac institutione viventium, de quibus præcipit Concilium Toletanum II. can. 1. Juvenes clericos in domo Ecclesie sub Episcopi presentia per sibi præpositum erudiri. Et refertur. c. de iis, dist. 28. Concilium præterea Toletanum IV. canon. 24. constituit: Ut puberes omnes & adulescentes clerici in uno atrii conclavi simul habitent, disciplinis Ecclesiasticis instruendi, sub senioris magistris probatissimi cura. Et pariter refertur in Decreto, 12. q. 1. cap. omnis ætas. Præfatum etiam Con-

cilium Aquigranense can. 135. regulam præscribit & modum educationis & convictus puerorum clericorum. Similiter edicit Concilium Parisiense lib. 1. c. 30. Denique Tridentinum sess. 23. cap. 18. de reform. provideri jubet in singulis diocæbus Seminaria & Scholæ clericorum pro eorundem institutione. De his plenus Concilia & acta Mediolanensis Ecclesie sub sanctissimo Præfule Carolo Borromeo.

4. Quod vero canon iste Moguntinensis præscribit, de lectione ad mensam, res est antiquioris instituti, cuius est mentio apud Cassian. lib. 4. de instit. renunc. cap. 17. Fidem pariter perhibet, hoc idem servasse institutum Monachos in Cappadocia versantes, Basiliius ipse Cappadox & Monachorum pater ac institutor, cum in regulis brevioribus hanc format interrogationem 180. Cujusmodi affectione atque attentione audienda sint, que nobis ad mensam accumbentibus leguntur. Augustinus item in regula: Cum (inquit) acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu & contentione audite. Benedictus pariter in regula c. 38. Mensis fratrum edentium lectio deesse non debet. Gregorius Magnus lib. 1. ep. 37. describens, qualia esse debent Episcoporum convivia præcipit: Ne in eis inanes secularium negotiorum fabule, sed verba sacre lectionis audiantur. Citatur a Gratiano, c. convivia, dist. 44. His accedit Laurentius Justinianus lib. de discip. & perfec. Monachor. cap. 20. Indignum proorsus est, & a via spiritus alienum, ut mens, que nullo corporali eget alimento, corpore se resicente jejuna permaneat: propter quod semper refectionis tempore aliquid de Divinis Scripturis legendum est, quatenus interior homo habeat, unde nutriatur, Divina namque eloquia & lectio Scripturarum sic anima, sicut panis corpori tribuit nutrimentum juxta Domini sententiam dicentis: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Quin etiam qui inter Ethnicos sapientiores habiti sunt, solliciti fuerunt animam lectione pascere, dum corpus in mensa suo pascatur alimento. Cornelius Nepos in vita Titi Pomponii Attici de hoc ipso fidem facit: Nemo in convivia ejus aliud impura audivit quam anagnostem; neque unquam sine aliqua lectione apud eum cenatum est, ut non minus animo quam ventre convivæ delestarentur. Namque eos vocabat, quorum mores a suis non abhorrent. Plinius junior de feri. scribit ad Fuscum lib. 6. ep. 36. Cæcilius mihi cum uxore & paucis liber legitur. Qua in re avunculi sui Plinii senioris imitabatur exemplum, de cujus Cœna iste illius ex sorore nepos hoc testatur lib. 3. ep. 5. Super hanc liber legebatur. Sed ista tractatio Sancti alioquin exemplo, sicut eam cœperam, concludenda est. Scribens Honoratus Maffiliensis Episcopus Hilarii Arelatenis præceptoris sui vitam, hoc inter alia commemorat: Sedili, mensæque apposita, liber ingerebatur, qui præbebat animo cibum.

Can. XVII. Nos autem qui reliquimus sæculum, id modis omnibus observare volumus, ut arma spiritualia habeamus, secularia dimittamus. Laici vero, qui apud nos sunt arma portare non prejudicemus; quia antiquus mos est, & ad nos usque pervenit.

5. Can. XXVIII. Presbyteri sine intermissione utantur orariis propter differentiam Sacerdotii dignitatis.

Quidam ex isto Canone occasionem sumptere tertiam quandam Orarii significationem comminiscendi, ut non tantum stolum Diaconicam, aut Sacerdotalem connotet, sed etiam longam ac talarem Ecclesiasticam vestem. Sed conjectores istos lubens interrogaverim, an existiment eam Concilium fuisse mentem ab vestis talaris gestamine sacros Diaconos excludendi, cum vellet hoc habitu Sacerdotes a quibuscumque aliis clericis discerni propter differentiam (inquit) Sacerdotii dignitatis. Non igitur fas erit Diaconis vestes deferre clericales, que non alia censenda sunt, quam talares. Constituit ergo in sacris Clerici, secundum præclaram istam disciplinam, ad facultatum & gregiorum militum decuratas vestes redigendi erunt: idemque de inferioribus clericis erit statuendum, ne qua sacerdotalis dignitatis fiat ab eis invasio, contra concessum jus istud solis Sacerdotibus, insignis. Atque ita eliminandus erit Concilii Maffiliensis primi perpetua observantia dignissimus Canon quintus, sic edicens. Ut nullus Clericus sagum aut vestimenta, vel calcamenta secularia, nisi qua Religionem deceant, induere præsumat. Quod si post hanc definitionem clericus cum indecenti veste, aut cum armis inventus fuerit, a seniore ita coerceatur, ut triginta diebus singulis sustentetur. In consensu est apud omnes, sagum, eo quod brevius esset, fuisse indumentum militare, a toga veste Romanorum pacifica distinctum, quatenus toga, que longior erat, prolixitate sua impedimento erat